

NICOLAI VIGELII IV-  
RISCONSVLTI

PARTITIO-  
NES IVRIS CIVILIS,  
Digestorum suorum rationem  
& ordinem breuiter de-  
monstrantes.

I T E M:

TABVLAE MATERIAE EIVSDEM,  
TOTIVS OPERIS DISPOSITIONEM  
breuissimè & luculentissimè obocu-  
los ponentes.

ACCESIT

UBRICARUM IURIS CAESAREI ET  
PONTIFICII: LEGVM ITEM ET PARAGRAPHORVM  
*omnium, toto hoc Digestorum Opere contentorum: necnon Rerum &  
uerborum in eodem praeipue memorabilium,  
tergeminus INDEX.*



BASILEAE, EX OFFICINA  
OPORINIANA

NICOLAI VIGELII IV-  
RISCONSULTI

PARTITIONES  
IVRIS CIVILIS,  
Digestorum suorum rationem  
& ordinem breuiter de-  
monstrantes.

ITEM:

TABULAE MATERIAE EIVSDEM,  
TOTIVS OPERIS DISPOSITIONEM  
breuissimè & luculentissimè ob oculo-  
sponentes.

ACCESSIT.

RUBRICARUM IURIS CAESAREI ET  
PONTIFICII: LEGVM ITEM ET PARAGRAPHORVM  
*omnium, toto hoc Digestorum Opere contentorum: necnon Rerum  
uerborum in eodem praeipue memorabilium,  
tergeminus INDEX.*



BASILEAE, EX OFFICINA  
OPORINIANA



VI longinquam & ignotam aliquam suscipiunt peregrinationem, solent, antequam iter ingrediantur, annotare ordine singulas regiones, ciuitates, oppida, pagos interdum, per quos sibi sit proficiscendum. Quæ res non ad id solum prodest, ne facile à recta uia declinent: sed etiam, ut in medio itinere constituti, sciant quantum itineris confecerint, & quantum adhuc restet conficiendum. accedit tum recordatio eorum quæ quolibet loco digna cognitu uel uiderint uel audiuerint, tum cogitatio eorum quæ adhuc restant uidenda: quæ res plurimum itineris tædium leuant. Ad horum exemplum conuenit eos qui Iuris studium suscipiunt, antequam illud ingrediantur, sibi annotare ordine locos qui in Iure ciuili tractantur: ut illis summatim cognitis, quò studia sua dirigere debeant, præuidere possint. In cuius rei gratiam Partitiones hæc conscripsi, quibus quicunq; in Iure ciuili loci siue themata simplicia tractantur, breuiter annotaui, Digestorum meorum ordinem secutus. Ex his igitur tum ordo Digestorum meorum, tum ordinis ratio patet. quas qui diligenter perlegerit, plurimum in perlegendis libris Iuris, præsertim uero meis Digestis, se adiutum sentiet. Incredibile est enim, quam pro sit ad singulorum cognitionem, prius uniuersorum dispositionem probe habere perspectam. Itaq; hisce Partitionibus non contentus, tabulas eiusdem materiæ adieci, quæ quasi Geographia quædam uiam demonstrarent, atq; dispositionem Digestorum meorum uniuersam ob oculos ponerent: ne quidquam eorum quæ ad facilem Iuris cognitionem spectant, uidear prætermisisse.

NICOLAI VIGELII IURISCONSULTI PARTITIONES IVRIS CIVILIS.

DE IVRE ET LEGIBUS. Cap. I.



IUS (ut Celsus definit) est ars boni et aequi, diuina, cuius praecepta tradidit, dictum. Ars autem est collectio et ordo praeceptionum ad aliquem finem utilem vite. Iuris praecepta generalissima quidem tria numerantur: Honestè uiuere, Alterum non ledere, Ius suum cuique tribuere. Specialia uero plurima sunt. Nam quot leges sunt, tot etiam sunt Iuris praecepta. Leges autem propter utilitatem hominum feruntur. Cum uero utilitas hominum partim publica sit, partim priuata: euenit inde, ut et ius aliud publicum, aliud priuatum uocetur. Publicum eas continet leges, quae publicam respiciunt utilitatem: priuatum, leges priuatorum utilitatem respicientes complectitur. Ius itaque publicum tractat de legibus, de magistratibus, de iudicijs tam publicis quam priuatis, de re ecclesiastica et religionis, de iure imperatoris et fisci, de re militari, de rebus ciuitatum, de muneribus, denique et honoribus: de quibus singulis Prima Digestorum meorum parte tractatur.

LIB. I. De legibus libro primo Digestorum meorum agitur, primum quidem in genere, deinde in specie. quid igitur ius sit, quid lex, et in quo differant, primo capite expositum est: hinc quae sit iuris origo, exponitur cap. 2. capite tertio cause legum, officia et effectus enumerantur. capite 4. de legislatione agitur: quibus scilicet ius ferendi leges competat? de quibus leges ferendae? item quomodo et qua forma ferendae? Hinc de legum interpretatione ac supplementatione, capite 5. scilicet, Quae sit ratio interpretandi et supplendi leges? Quibus ius illud interpretandi et extendendi leges competat? cum aliquot praeceptis seu regulis, secundum quas interpretatio et extensio legum fieri debeat. Postea cap. 6. cauetur, ne ratio legum nimis superstitiosè inquiratur: ne leges facillè mutantur aut distinguantur: necnon de modo docendi iura: de iurisprudencia et iuriconsultis: de iustitia et iniusticia. Hisce subiunguntur capite 7. exceptiones, quibus leges infirmantur. Et haec quidem de legibus in genere. Postea capite 8. cum duobus capitibus sequentibus, de diuisionibus et speciebus iuris legumque agitur: primum quidem, quod ius aliud publicum sit, aliud priuatum: de qua iuris diuisione antea quoque dictum est. deinde, quod ius aliud naturale sit, aliud gentium, aliud ciuile. tertio, quod aliud personarum sit, aliud rerum, aliud actionum. Quid autem sit ius naturale, gentium et ciuile: item quae sint cuiusque generis species, quae propria, quae differentiae, d. capite 8. expositum est. Cumque ius ciuile partim scriptum sit, partim non scriptum: de hoc quoque d. capite 8. de illo uero capite 9. actum. Cumque rescripta principum iuris auctoritatem obtineant, quae per supplicationes impe-

trari solent: de rescriptis illis et supplicationibus tractatur cap. 10. Haec de iure et legibus.

DE MAGISTRATIBVS, eorumque ministris. Cap. II.

LIB. II. Legum autem custos et uindex est magistratus: cuius iura, eiusque ministrorum, exponuntur libro secundo Digestorum meorum, primum quidem ipsius magistratus, deinde eius ministrorum. Magistratus autem iura proponuntur primum quidem in genere: hinc in specie. In generali tractatu agitur de magistratibus ordinandis, de quibus annoniis et sportulis magistratum et iudicium, cap. uidelicet primo. Vbi qui et quales, necnon et a quibus ordinandi sint, differuntur: item antecedentia, adiuncta et consequentia ordinationem enumerantur. Hinc capite 2. magistratus officia exponuntur. Quod si contra officium magistratus aliquid gesserit: quibus actionibus teneatur, quaeque istarum actionum sit natura, definitur capite 3. Postea capite 4. de iurisdictione: hinc de dignitate et reliquo iure magistratus agitur capite 5. Sed et species enumerantur, atque origo magistratum Romanorum, necnon de iuriconsultis exponitur capite 6. Et haec quidem de magistratibus in genere. In specie autem agitur de ijs, de Imperatore quidem capite 7. De senatoribus et consularibus, capite 8. De consulibus, capite 9. De praefectis praetorio, capite 10. De praefecto urbi, capite 11. De quaestore, capite 12. De praetoribus, capite 13. De praefecto uigilum et adilibus, capite 14. De proconsule eiusque legato, capite 15. De praefide prouinciae, capite 16. Postremo de magistratibus certarum prouinciarum, capite 17. Haec de magistratibus tam in genere, quam in specie. De uarijs eorum, apparitoribus et ministris magistratum, necnon iudicium, tractatur libro eodem, primum quidem in genere, capite 18. in specie uero, cap. 19.

DE IUDICIIS PVBLCIS. Cap. III.

LIB. III. Post magistratum iura tractatur de iudicijs, quorum alia publica dicuntur, alia priuata. De publicis iudicijs in genere quidem agitur lib. 3. Digestorum meorum: in specie uero libro 4. Generalis tractatus continet quatuordecim locos publicorum iudiciorum: Definitionem scilicet, Diuisionem, Species, Proprium: item, Quibus competant, Aduersus quos, Per quos, Vbi et apud quem, Quando et quamdiu: item ad finia remedia. qui decem loci tractantur d. libro 3. capite 1. Undecimus locus complectitur causas publicorum iudiciorum, earumque exceptiones: de quibus agitur capite 2. Duodecimus locus est de eo quod uenit in iudicia publica, seu de poenis: quarum ratio

PARTIT. IURIS CIVIL.

ratio, differentiae, diuisiones et species proponuntur capite 3. Hinc quae poena cuique sit irroganda, definitur pro uarietate circumstantiarum capite 4. Decimus tertius locus continet actus et adiuncta publicorum iudiciorum, primum quidem accusatoris: ut libelli inscriptionem et cautionem ab accusatore praestandam, capite 5. hinc rei conuenti: ut de requirendis reis et adnotandis: de reis apprehendis: de reis non recipiendis, nec occultandis: de reis custodiendis, exhibendis, remittendis, et bonis eorum administrandis, capite 6. Postremo iudicis actus et officia proponuntur capite 7. de custodijs scilicet audiendis, et criminibus cognoscendis, de quibus sententia ferenda. Sed et ad actus officiaque iudicis pertinent quaestiones atque tormenta, de quibus tractatur capite 8. Decimus quartus locus complectitur euentus et consequentia publicorum iudiciorum. Horum alia sunt reo absoluto, alia reo damnato: alia denique reo damnato quidem, sed poenarum liberato. Primi generis tria sunt: scilicet, De puniendis calumniatoribus, capite 9. De prauariatoribus, capite 10. De tergiversatione, capite 11. Secundi generis itidem tria sunt: Executio sententiae, capite 12. Bonorum publicatio, cap. 13. Infamia, cap. 14. De tertio genere, hoc est, de poenae remissione et euentis, reo restituto et poena liberato, agitur cap. 15. Haec quidem de publicis iudicijs in genere.

LIB. III. In specie autem de ijs tractatur libro 4. Digestorum meorum: ut puta, De lege Iulia maiestatis, cap. 1. De iudicia et priuata, cap. 2. De raptu foeminarum, cap. 3. De sicarijs et ueneficis, cap. 4. De parricidijs, cap. 5. De plagarijs, cap. 6. De adulterijs et stupro, capite 7. De falsis, cap. 8. De maleficis et mathematicis, capite 9. De repetundis, lib. 2. cap. 3. actione 1. De annonae, lib. 12. cap. 12. De crimine peculatus, de sacrilegijs et refiduis, lib. 4. 7. cap. 7. De ambitus crimine, lib. 2. cap. 1. quast. 3. reg. 5. Haec de iudicijs publicis.

DE IUDICIIS PRIVATIS. Cap. IIII.

LIB. V. De iudicijs priuatis tractatur libro quinto Digestorum meorum, cum quatuor libris sequentibus. Nam libro quinto tractatur de personis iudiciorum et de rebus: praemisit tamen capite 1. quibusdam de ratione iudiciorum, de temporibus exercendorum iudiciorum, de causis eorum corruptentibus, antecedentibus et adiunctis, necnon de diuisionibus eorum. Personae iudiciorum sunt, Iudex, de quo cap. 2. Affectores et ministri iudicum, de quibus cap. 3. Postulantes, de quibus cap. 4. Aduocati, de quibus cap. 5. Procuratores, de quibus cap. 6. 7. et 8. Actor denique et reus: de quibus cap. 9. in prim. Res iudiciorum sunt, res litigiosae: de quibus tum non alienandis tum sequestrandis agitur d. cap. 9.

LIB. VI. Post personas et res iudiciales sequuntur actus iudiciorum, quorum alij litis contestationem praecedunt, alij eam sequuntur: de illis quidem libro sexto, de his uero libro septimo tractatur. Litis contestationem praecedunt citatio, de qua d. libro 6. capite 1. Citati contumacia et absentia, capite 2. item si per alium factum sit, quo minus citatus in iudicio se sistat, de quo cap. 3. Prae-

cedit item litis contestationem editio libelli: de qua cum editio rationum, et aliorum quae quis apud iudicem editurus est, agitur cap. 4. De dilationibus agitur cap. 5. quanquam non raro etiam post litem contestatam dilationes dari solent. De exceptionibus dilatorijs et recusatoria iudicis agitur cap. 6. De cautionibus et satisfactionibus hinc inde in iudicio praestandis, tractatur in genere quidem cap. 7. in specie uero, ut puta Ratum rem haberi, cap. 8. Iudicio sisti, capite 9. Iudicatum solui, capite 10.

LIB. VII. Post haec libro VII. agitur de litis contestatione, et actibus eam sequentibus. De ipsa quidem litis contestatione et iuramento calumniae, alijsque huiusmodi iuramentis, capite 1. De probationibus primum quidem in genere, capite 2. deinde in specie: ut de instrumentis, capite 3. de testibus, capite 4. de confessoris et interrogationibus in iure faciendis, capite 5. de iureiurando decisorio, capite 6. et 7. Post probationes sequitur de officio iudicis et ordine cognitionum, capite 8. De rebus dubijs et obscuris, quod sit iudicis officium, definitur cap. 9. De relationibus et causa ad superiorem iudicem mittenda, cap. 10. De sententia denique formanda et pronuntianda, cap. 11.

LIB. VIII. Post actus iudiciorum sequuntur euentus et consequentia, libro 8. primum quidem de appellationibus, capite 1. hinc de ad finibus appellationum remedijs, de quibus actionibus et exceptionibus, quae uictio aduersus iustorem uel iudicem competunt, capite 2. tertio de re iudicata, capite 3. et iudicati actione, capite 4. Postea de executione rei iudicatae, necnon de sumptibus et expensis litis praestandis: item de sportulis iudicum et ministrorum, capite 5. de missione in possessionem bonorum rei seruanda causa, capite 6. de quibus actionibus, quae occasione missionis inter debitorem et creditorem oriuntur, capite 7. de uenditione bonorum debitoris, capite 8. de priuilegijs creditorum, seu qui in bonis debitoris potiores sint, capite 9. postremo de separationibus, cap. 10.

LIB. IX. Post euentus et consequentia iudiciorum sequuntur eorumdem ad finia remedia, lib. 9. Digestorum meorum. Sunt autem iudiciorum ad finia remedia, primum quidem extraordinariae cognitiones, de quibus tractatur cap. 1. Alterum est compromissum, de quo tractatur cap. 2. cum duobus capitibus sequentibus. nam d. cap. 2. exceptiones aduersus compromissa enumerantur. Cap. 3. de arbitro ad dicendam sententiam cogendo agitur. hinc cap. 4. de actione et exceptione, quae ex compromisso nascitur, tractatur. Tertium ad finem iudiciorum remedium est transactio: de qua in genere quidem tractatur capite 5. de alimentorum uero transactione capite 6. Haecenus de iudicijs.

DE RE ECCLESIASTICA & religionis. Cap. V.

LIB. X. De re ecclesiastica et religionis tractatur libro 10. Digestorum meorum: primum quidem de personis ecclesiasticis, hinc de rebus, tertio de actibus ecclesiasticis et hereticis, postremo de quibusdam ecclesiae speciebus. Personae ecclesiasticae sunt: Clerici et monachi, de quibus in genere quidem tracta-

PARTITIONES

tur capite 1. cum duobus capitibus sequentibus: in specie uero capite 4. cum tribus capitibus sequentibus. In generali tractatu agitur primum de ordinatione clericorum & monachorum, capite 1. hinc de officiis clericorum & monachorum, quibus non prestitis dignitatem suam amittunt, capite 2. postremo de priuilegijs & rebus clericorum ac monachorum priuatis, capite 3. In speciali tractatu agitur primum de episcopis, & quidem de ordinatione illorum, capite 4. de officiis illorum, capite 5. de priuilegijs denique illorum, capite 6. hinc de presbyteris, diaconis, lectoribus, abbate, parabolans & alijs quibusdam personis ecclesiasticis, capite 7. De rebus ecclesie tractatur in genere quidem capite 8. in specie uero: ut puta de monasterijs, de templis, de templorum ornamentis, de reliquijs & sepulchris apostolorum & martyrum, de crucibus & signo crucis, capite 9. de priuilegijs ecclesiarum, capite 10. Tertio proponuntur actus ecclesiastici & religionis, capite 11. Sunt autem huiusmodi actus, fides, sacrificia, missa, sacra mysteria, supplicationes, orationes, baptisma, sacrorum librorum lectio, & sepultura mortuorum. His subiicitur tractatus de hereticis, primum quidem generalis, capite 12. deinde uero specialis, capite 13. Postremo agitur de quibusdam ecclesie speciebus: ut puta de orphanotrophijs, xenodochijs & similibus collegijs, cap. 14.

DE IVRE IMPERATORIS ET FISCO: necnon de re militari.

Cap. VI.

LIB. XI. Post iura ecclesiastica sequuntur iura Imperatoris & fisci, necnon rei militaris, libro XI. Digestorum meorum. Et quidem in iure Imperatoris & fisci explicando primum agitur de personis seu ministris Imperatoris & fisci, capite 1. hinc de rebus eorum, capite 2. cum octo capitibus sequentibus. Nam primum agitur de istis rebus adquirendis sex capitibus. adquireuntur autem res fisco per nunciationem & delationem, de qua capite 2. per actiones, de quibus cap. 3. per censuum ac tributorum iudicacionem, capite 4. eorundem exactionem ac susceptionem, cap. 5. atq; transmissioem & transuccionem, cap. 6. per uectigalium deniq; occasionem & commissam, capite 7. postea agitur de dictis rebus administrandis, locandis & alienandis, capite 8 & 9. postremo de priuilegijs fisci & uestitu Cesaris, capite 10. In re militari itidem personae & res considerande sunt. Inter personas militares primum obtinent locum magistratus militares: ut sunt magistri militum, magistri officiorum, duces, &c. de quibus cum suis apparitoribus agitur lib. eod. XI. cap. 1. hinc de militibus, cap. 12 & 13. De rebus militaribus: ut pote de annona militari, de ueste militari, de hospitij militum & armis, tractatur cap. 14.

DE IVRE CIVITATVM.

Cap. VII.

LIB. XII. Superest ultima pars iuris publici, quod complectitur iura ciuitatum, & continetur libro XII. & XIII. Digestorum meorum. Diuiditur autem & haec pars in personas, res et actus ciuiles. In personis ciuitatum primum obtinet locum magistratus

municipalis: de quo in genere quide agitur d. lib. XII. cap. 1. in prin. Eius autem species sunt, prima quide defensores ciuitatum, de quibus d. cap. 1. membro 2. Altera species sunt duumiri, de quibus d. cap. 1. in fine. Tertia decuriones & curiales, de quibus agitur cap. 2 & 3. Quarta legati ciuitatum, de quibus cum legationis officio tractatur cap. 4. Quinta species sunt actores uniuersitatum, de quibus capite 5. hinc accedunt curatores rerum pub. de quibus agitur d. cap. 5. in fine. Hinc subiicitur tractatus eorum qui sunt in collegijs & corporibus, primum quidem generalis, cap. 6. deinde specialis: ut de magistris artium liberalium, doctoribus & professoribus, philosophis, medicis, de iuris studiosis, argentarijs, mercatoribus, artificibus, mercenarijs & mendicantibus, capite 7. De rebus itidem partim generaliter tractatur, de ijs scilicet adquirendis, cap. 8. item alienandis & locandis, capite 9. ubi etiam de actionibus aduersus ciuitates competentibus differitur, partim specialiter: ut de operibus publicis, basilica, praetorijs, muris & portis ciuitatum, de statutis & imaginibus, de aqueductibus & fontibus publicis, cap. 10. item de operibus & aedificijs priuatis, cap. 11. de re frumentaria ciuitatum siue annonae, cap. 12. de agris ciuitatum, numismate & pecunia publica, de uestitu & ornatu ciuium, de armis, de priuilegijs deniq; ciuitatum, seu rebus incorporalibus, cap. 13. Actus ciuiles sunt, consultatio de publica utilitate, nundinae, ludi & spectacula, uenationes, conuentus & publicae ciuium laticiae, item feria. de quibus omnibus tractatur cap. 14.

Sed & inter actus ciuiles numerari possunt munerum & honores, de quibus peculiariter tractatur libro XIII. Digestorum meorum, primum quidem in genere usq; ad cap. 8. deinde in specie duobus capitibus postremis. In generali tractatu continentur definitiones, diuisiones & species munerum & honorum, capite nimirum primo. de muneribus & honoribus iniungendis, deq; nominatione facienda, cap. 2. de municipijs, cap. 3. excusationes a muneribus & immunitates continentur cap. 4. cum duobus capitibus sequentibus. de actione, quae ex mala muneris administratione competit, tractatur cap. 7. In speciali munerum tractatu agitur primum quidem de cursu publico, cap. 8. hinc de munerum nauiculario, cap. 9.

DE IVRE PRIVATO.

Cap. VIII.

Hactenus partes ac membra iuris publici enarrauimus: nunc eadem ratione de iure priuato dicendum est. Ius autem priuatum, ut diximus, continet leges priuatorum utilitatem principaliter tractantes: quanquam interdum etiam publicae personae huiusmodi iure & legibus utantur, & quidem in rebus publicis: ut puta cum Imperator uel princeps aut ciuitas aliqua emit aliquid, aut uendit: item cum res fisci uel ciuitatis uenditur: ut sunt uectigalia quae fisco penduntur, item peculia seruorum ciuitatis. Quo casu tam res quam persona, quamuis publicae sint, priuatorum loco habentur: l. 15. cum lege sequente. ff. de uerb. significat. Porro ius priuatum duplex est: Generale nimirum, & Speciale. Speciale est, quod

IVRIS CIVILIS.

quod species iuris tractat: Generale, quod causas iuris generales continet. Species & causas iuris cum dico, appellatione iuris intelligo non artem illam boni & aequi, seu legum collectionem, sed facultatem seu potestatem aliquam in persona uel re nobis a lege concessam. hanc enim potestatem & facultatem ius appellari, exemplo iuris patronatus, patriae potestatis, tutela, itineris, actus, uiae, usufructus & similibus ostenditur. Haec autem potestas seu facultas aut in personis nobis contingit, aut in rebus. Vnde ius speciale rursus diuiditur in personale & reale. Personale ius est, matrimonium, patria potestas, tutela & cura, dominica potestas, & ius patronatus. Quae iuris species Secunda Digestorum meorum parte tractantur. Reale ius est, dominium, possessio, usufructus, usus, seruitutes, & similia rerum iura: de quibus infra dicitur post personalem iuris membra exposita.

DE MATRIMONIO.

Cap. IX.

LIB. XIII. Matrimonij iura, praeterquam dotis & antenuptialis donationis, secundum ordinem quatuor temporum distinxit, matrimonij scilicet contrahendi, contracti, dissoluenti & dissoluti. de quibus agitur lib. XIII. Digestorum meorum. Tempus autem contrahendi matrimonij est, quo uel sponsalia uel nuptiae fiunt. De sponsalibus agitur capite 1. de nuptijs capite 2. cum quatuor capitibus sequentibus. nam d. capite 2. proponitur nuptiarum definitio, proprium: item iniustarum nuptiarum euentus & poena. Species autem iniustarum nuptiarum, seu aduersus nuptias exceptiones, quae quidem ex personis contrahentium sumuntur, enumerantur cap. 3. quae uero ex alijs circumstantijs desumptae sunt, enumerantur capite 4. Et haec quidem de nuptijs contrahendis in genere. Cum autem nuptiarum alia prima, aliae secunda dicantur: de secundis nuptijs specialiter agitur cap. 5 & 6. Haec de temporibus iura cap. ultimo. In dotium autem iure exponendo praemissi de pactis dotalibus caput generale primum. hinc de actionibus quae marito eiusq; heredibus dotis occasione competunt, tractantur: de petitione quidem dotis, cap. 2. de actione uero dote euicta, cap. 3. & de actione exceptioneq; impensarum in dotem factarum, cap. 4. Tertio actum est de actionibus, quae uxori eiusque heredibus, alijsue ad quos ea res pertinet, dotis nomine competunt: ut de repetitione dotis, quod scilicet sit eius genus & quod simile & aduersus quos competat & quando & quamdiu detur: quae sint eius adiuncta, euentus &

PARS II. tur in personale & reale. Personale ius est, matrimonium, patria potestas, tutela & cura, dominica potestas, & ius patronatus. Quae iuris species Secunda Digestorum meorum parte tractantur. Reale ius est, dominium, possessio, usufructus, usus, seruitutes, & similia rerum iura: de quibus infra dicitur post personalem iuris membra exposita.

adfinia remedia? capite 5. Quae sint eius cause, causarumq; exceptiones, enumerantur cap. 6. Quibus ea competat, ostendi capite 7. Postremo quid ueniat in repetitione, definitum capite 8. Hinc de actione quae oritur ex eo, si maritus dolo uel culpa in re dotali sit uersatus, deq; fundi dotalis alienatione dictum capite 9. Postremo reliqua dotium iura exposita sunt capite 10. Haec de matrimonio, primo personarum iure, eiusq; accidentibus sunt acta.

DE PATRIA POTESTATE, ET alio inter parentes & liberos

iure. Cap. X.

LIB. XVI. Alterum ius personarum, patriam uocant potestatem: de quo, & si quid praeterea inter parentes & liberos iuris est, tractatum libro XVI. Digestorum meorum. primum quidem quo iure patria potestas introducta sit, quibusq; & in quos competat? capite 1. deinde quae sint patriae potestatis, aliaue inter parentes & liberos iura, d. capite 1. quasi. 5. cum duobus capitibus sequentibus. Inter haec autem iura enumeratur, quod parentibus per liberos, quos habent in potestate, adquiratur: de quo capite 2. differitur. Ex hoc aut acquisitionis iure excipitur castrense & quasi castrense peculium, de quo subiicitur cap. 3. Sed & uniuersa fere patriae potestatis iura distinctionem recipiunt in liberis naturalibus siue illegitimis: ideoq; de ijs sequitur cap. 4. Postremo cause patriae potestatis exponuntur tum efficientes, tum corruptentes. Efficientes quidem cum actionibus, alijsq; iuris remedijs, quibus quis filius alicuius dicitur uel negatur, cap. 5. cum tribus capitibus sequentibus. Corruptentes uero, seu illae quibus patria potestas soluitur, cap. 9.

DE TUTELA ET CURA.

Cap. XI.

DE TERTIO PERSONARUM IVRE, hoc est tutela, item de quarto, hoc est de cura, conuenit tractatum lib. XVII. & XVIII. Digestorum meorum. Primum autem descriptio quaedam generalis tutela & curae continetur d. libro 17. capite 1. hinc cause tutela & curae efficientes seu species enumerantur ac describuntur capite 2. cum tribus capitibus sequentibus. nam d. capite 2. agitur de tutela testamentaria: hinc de legitima, capite 3. Post hanc de ea quae a magistratu constituitur, & datina uocatur, capite 4. Quibus subiicitur capite 5. de tutore & curatore petendo. Haec de causis tutela & curae efficientibus. Tertio loco enumerantur cause corruptentes, seu modi quibus tutela & cura finitur. Inter quas primum obtinet locum excusatio tutorum & curatorum, de qua cap. 6. alteram, postulatio ac remotio suspecti, de qua cap. 7. his subiiciuntur reliqui finiende tutela & curae modi, capite 8. Post haec specialis tractatus additur cap. 9. de curatore bonorum.

Postremo de officijs tutorum, necnon de actionibus ex tutela competentibus agitur peculiari libro XVIII. primum quidem de officijs tutorum, capite 1. cum septem capitibus sequentibus. Nam tutorum officia triplicia sunt: alia ante susceptam tutelam: ut satisfactio rem pupilli saluam fore, capite

PARTITIONES

1. Inventarij confessio, capite 2. Alia post susceptam tutelam, de quibus capite 3. agitur. Ad huius generis officia pertinet etiam pupilli alendi et educandi cura, de qua capite 4. item officium in propria causa contra pupillum uel contutorem, de quo capite 5. item officium in rebus minorum alienandis, de quo cap. 6. item in autoritate ei quod gerit pupillus accommodanda, de quo capite 7. Alia denique sunt tutorum officia post finitam tutelam, quae continentur capite 8. Post officia tutorum exposita sequitur altera eius libri pars, de actionibus occasione tutela competentibus: quarum aliae ei cuius tutela gesta est, competunt aduersus tutorem: aliae contra tutorem aduersus eum cuius tutela est gesta. Prioris generis est tutela actio directa, cuius causa causarumq; exceptiones enumerantur capite 9. Reliqua eius actionis iura proponuntur capite 10. Item prioris generis actio est de rationibus distrahendis, de qua cap. 11. item ex stipulatu rem pupilli saluam fore, de qua capite 12. quarum omnium adfines remedium est actio subsidiaria aduersus magistratum, de qua cap. 13. Posterioris generis est actio tutela contraria, de qua tractatur cap. 14.

DE DOMINICA POTESTATE, & iure seruorum. Cap. XII.

LIB. XIX. Q Vintum ius personarum diximus esse potestatem dominicam, qua quis dominio alicuius contra naturam subijcitur, et appellatur aliis LIB. XIX. Seruitus: cuius iura proposita sunt libro XIX. Digestorum meorum. In quo primum quidem agitur de seruis in genere, undecim capitibus prioribus: hinc in specie, tribus capitibus posterioribus. Generalis tractatus continet primum quidem propria dominice potestatis iura, cum definitione seruitutis, capite 1. ad haec iura pertinet etiam peculium seruorum, de quo capite 2. Deinde continet etiam causas seu modos, quibus dominica potestas acquiritur, et seruitus constituitur, capite 3. Tertiò causas seu modos, quibus dominica potestas amittitur, et libertas seruo acquiritur, capite 4. quibus annumeratur etiam manumissio: de qua tractatur capite 5. cum duobus capitibus sequentibus. Nam cum uariae sint aduersus manumissionem exceptiones, desumptae partim ex ijs quae manumissioni insunt, partim ex ijs quae manumissionem sequuntur: et prioris generis exceptiones sumantur partim ex persona manumissoris, partim ex persona manumissi uel manumittendi, partim denique ex alijs manumissionis circumstantijs: exceptiones ex persona manumissoris desumptae proponuntur d. capite 5. ex persona manumissi uel manumittendi desumptae proponuntur capite 6. reliquae deniq; desumptae ex ijs quae manumissioni insunt, capite 7. Posterioris uero generis exceptiones, desumptae ex ijs quae manumissionem sequuntur, enumerantur capite 8. Sed huius posterioris generis exceptiones etiam sunt desumptae ex defectu conditionis, sub qua libertas est relicta: de quibus capite 9. Haec quidem de causis seu modis, quibus dominica potestas amittitur, et libertas seruo contingit. Quarto continentur in generali tractatu actiones, quibus quis seruus alicuius

dicitur uel negatur, capite 10. cum sequentè. In speciali tractatu primum agitur de seruis fugitiuis, capite 12. hinc de statutiberis, capite 13. Postremò de agricolis et colonis, cap. 14.

DE IURE PATRONATUS, & libertinitatis. Cap. XIII.

10 S Extum ius personarum, quod patronatus et libertinitatis appellant, describitur libro XX. Digestorum meorum: primum quidem in genere, tribus capitibus prioribus: hinc in specie, reliqua libri parte. Generalis tractatus continet definitionem et diuisiones libertorum, item causas ex quibus ius patronatus acquiritur, item personas eorum quibus et in quos idem ius competat, capite 1. hinc causas ex quibus ius patronatus amittitur, et libertus fit ingenuus, capite 2. Tertiò actionem prauidicidalem, qua queritur utrum quis libertus sit, an ingenuus, capite 3. Specialis tractatus continet propriam iuris patronatus, seu speciem, capite 4. Sed huius generis est ius accusandi libertum ut ingratum, de quo capite 5. item actio operarum, capite 6. item successio patroni in bona liberti defuncti, capite 7. cuius speciem est contra tabulas bonorum possessio unde patronus: de qua capite 8. Sed et occasione successiois Fauiana et Caluistana patrono competit actio: de qua tractatur cap. 9. Haec tenus de iure personarum.

DE RERVM DOMINIO. Cap. XIII.

30 I N rebus (ut s. dixi) habemus dominium, possessio- PARS III. nem, usufructum, usum, seruitutes praediorum, et similia iura, quae in Tertia Digestorum meorum parte continentur. Et dominij quidem iura exposita sunt lib. XXI. Vbi primum de ipso dominio agitur tum adquirendo, tum amittendo: hinc de actionibus, quae pro dominio et quasi dominio uindicando competunt. De adquirendo dominio primum enumerantur ac describuntur cause seu modi tam naturales quam ciuiles, quibus illud acquiritur, capite 1. deinde personae, per quas acquiritur, capite 2. Tertiò personae, quibus acquiritur: et quarto quid, quale et quantum acquiritur, capite 3. De amittendo dominio agitur capite 4. Inter actiones, quibus rem occasione dominij persequimur, primum obtinet locum rei uendicatio: cuius cause, causarumq; exceptiones enumerantur capite 5. Personae quibus et aduersus quas, item ubi et apud quem iudicem competat, proponuntur capite 6. Res quae in eam ueniant, definiuntur capite 7. Antecedentia eius, adiuncta et consequentia enumerantur capite 8. et adfines eius remedia capite 9. Haec quidem de rei uendicatione, quam sequitur ad exhibendum actio, capite 10. Postremò, quae ex quasi dominio competit, Publiciana, capite 11. Sed et inter causas adquirendi dominij numeratur usucapio, de qua peculiariter tractatur libro XXI. primum quidem in genere, quinque capitibus prioribus: deinde in specie, capite 6. Primum autem proponuntur usucapionis definitio, ratio et effectus, item quid quantumq; usucapione

IURIS CIVILIS.

DE SERUITVTIBVS PRAEDIORVM. Cap. XVII.

LIB. XXV. Q Vintum ius quod in rebus habemus, sunt seruitutes praediorum, de quibus lib. XXV. Digestorum meorum agitur, primum quidem generaliter in quatuor capitibus prioribus: postea uero specialiter, in reliquis capitibus. Generalis tractatus continet primum quidem distinctionem significatorum, nominis rationem et propria seruitutis praediorum, cap. 1. Hinc tractat de constituenda et adquirenda seruitute, cap. 2. Tertiò de seruitute amittenda, cap. 3. Quarto de actione seruitutum in rem tam confessoria quam negatoria, capite 4. In speciali tractatu agitur primum de seruitutibus urbanorum praediorum, cap. 5. Hinc de seruitutibus praediorum rusticorum, cuiusmodi species enumerantur capite 6. Inter quas sunt etiam iter, actus et uia, de quibus peculiariter agitur capite 7. deq; interdictis harum, capite 8 et 9. Item inter eas etiam numeratur aqueductus, de quo cap. 10. deq; eius interdictis, cap. 11. item numeratur aquae haustus, de quo cap. 12. Postremò ius cloacae immittenda, de cuius interdicto agitur cap. 13.

DE RELIQUO RERVM IURE, & actionibus omni rerum iuri communibus. Cap. XVIII.

LIB. XXVI. P Rater iura rerum haec tenus enumerata sunt et alia rerum iura pro rerum diuersitate, quae exponuntur libro XXVI. Digestorum meorum, praemissis aliquot rerum diuisionibus cap. 1. hinc primum dicitur de rebus sacris, sanctis et religiosis, cap. 2. In rebus autem religiosis habemus ius inferendi mortuum et sepeliendi, de quo cap. 3. item ius sepulchri adificandi et reficiendi, de quo cap. 4. necnon sepulchri uiolati actionem, de qua tractatur cap. 5. Post haec sequitur de rebus omnium communibus et publicis, cap. 6. necnon de interdictis et actionibus, quae pro ijs competunt, cap. 7. cum quinque capitibus sequentibus. Postremò tractatur de rebus priuatis, tam proprijs quam communibus et alienis, cap. 13. cum capite sequente.

LIB. XXVII. Ex his quam uariae sint rerum iura, item quae sint cuiusq; iuris defendendi actiones speciales ac propriae, constat, sunt tamen quaedam actiones generales et communes omni rerum iuri defendendo, quae tractantur libro XXVII. Digestorum meorum. Primum genus harum actionum nascitur ex operis noui nunciatione: alterum oritur occasione damni infecti: tertium genus continet aquae pluuiarum arcendae actionem. Primum itaq; actum de ipsa operis noui nunciatione, capite 1. hinc de quinque actionibus inde descendentes, cap. 2. tertiò de actione damni infecti ad cautionem praestandam, cap. 3. qua quidem non praestita, missio fit in possessionem damni infecti nomine, cap. 4. Quo casu si missus non admittatur, actio nascitur, de qua cap. 5. Praestita autem dicta cautione, ex stipulatu actio datur damno accepto, de qua cap. 6. Postremò tractatur de aquae pluuiarum arcendae actione, cap. 7. Et haec quidem tam de personarum quam rerum iure sunt tractata: quibus absolutis, finitur specialis pars iuris priuati.

usucapione adquiretur? cap. 1. Hinc quatuor capitibus exceptiones aduersus eam generaliores enumerantur, desumptae partim ex persona possessoris, partim ex persona eius a quo, item eius per quem possidetur, de quibus cap. 2. partim ex re possessa, de quibus cap. 3. partim ex causa possessionis, de quibus cap. 4. partim deniq; ex alijs possessionis circumstantijs, cum accessionum et interruptionum tractatu, cap. 5. hinc (ut dixi) speciales exceptiones, specialisq; usucapionis tractatus subijcitur cap. 6. Haec de dominio.

DE POSSESSIONE. Cap. XV.

LIB. XXIII. D E possessione, altero uidelicet rerum iure, agitur lib. XXIII. Digestorum meorum, primum quidem de ipsa possessione: hinc de interdictis et actionibus, quae pro persequenda et defendenda possessione competunt. De ipsa possessione primum quidem definitiones ac diuisiones eius proponuntur capite 1. hinc de adquirenda possessione, cause ex quibus acquiritur, cum suis exceptionibus, capite 2. item quibus et per quos acquiritur possessio, necnon quid et quantum acquiritur, capite 3. De amittenda denique possessione agitur capite 4. De interdictis et actionibus, quae pro persequenda et defendenda possessione competunt, tractatur primum quidem in genere, capite 5. hinc in specie, et primum de ijs quae pro adipiscenda possessione competunt: ut est interdictum Quorum legatorum, de quo capite 6. interdictum Quorum bonorum, de quo lib. 31. cap. 11. item interdictum Ne uis fiat ei qui in possessionem missus erit: de quo libro 23. cap. 7. Hinc de ijs quae pro retinenda possessione competunt: ut est interdictum Vti possidetis, de quo d. libro 23. capite 8. Interdictum de superficiebus, de quo capite 9. et interdictum Virubi, de quo capite 10. Postremò de ijs quae pro recuperanda possessione competunt: ut est interdictum Vnde ui, de quo capite 11. interdictum Quod ui aut clam, de quo capite 12. et interdictum de precario, de quo capite 13. Haec de possessione, altero rerum iure.

DE VSVFRVCTV, VSV, HABITATIONE, & operis seruorum. Cap. XVI.

LIB. XXIII. T Ertium ius quod in rebus habemus, usufructus est, de quo libro XXIII. Digestorum meorum tractatur, primum quidem de constituendo et adquirendo usufructu, cap. 1. hinc de eo amittendo, cap. 2. Tertiò de usufructu ad crescendum et consolidando, capite 3. Quarto de actione quae pro usufructu persequendo datur, tam personali quam in rem confessoria, capite 4. Quintò de iure usufructuarij, capite 5. et de cautione ab usufructuario praestanda, capite 6. Postremò de iure et actionibus proprietarij, et de actione in rem negatoria, cap. 7. Haec de usufructu. Quartum ius, quod in rebus habemus, sunt usus et habitatio, quibus non abfines sunt operae seruorum: de quibus omnibus tractatur d. lib. 24. cap. 8.

PARTITIONES  
DE HAEREDITATE ET BO-  
norum possessione ex testamen-  
to. Cap. XIX.

**S**equitur altera pars iuris priuati, quam dixi gene-  
ralem uocari, quod causas iuris generales contine-  
at. Causarum autem aliae sunt iuris acquirendi, aliae  
retinendi, aliae amittendi, aliae deniq; amissi recuperan-  
di. Primi generis cause duplices sunt, lucrativae nimirum  
& onerosae. Lucrativae iuris acquirendi cause sunt suc-  
cessionibus uniuersales tam ex testamento, quam ab inte-  
stato, legata & fideicommissa, donationes item tam in-  
ter uiuos quam mortis causa factae. de quibus causis iu-  
ris lucrativis ordine tractatur in Quarta Digestorum  
meorum parte, & primum quidem de successione  
uniuersalibus, tribus libris prioribus, nimirum libro

PARS III.

L I B.  
XXVIII.

Successio uel ex testamento competat, uel ab intestato:  
de successione ex testamento actum est d. lib. XXVIII.  
de hereditate, altero uero de honorum possessione. Quid  
autem & quotuplex testamentum sit necnon quae sint  
eius partes, quod proprium, quae accidentia: definitur cap.  
1. Accidentia autem tabulis testamenti etiam duae actiones:  
una de testamenti tabulis aperiendis, in sciendis & de-  
scribendis, de qua tractatur cap. 4. altera de testamenti  
tabulis exhibendis, de qua cap. 5. Sed & accidunt testa-  
mentis exceptiones, quibus ea eliduntur. Haec duplices  
sunt: aliae siquidem desumptae sunt ex ijs quae testamenti  
factioni insunt, testamentumq; faciunt iniustum: aliae uero  
ex ijs quae testamenti factionem sequuntur, faciuntq; te-  
stamentum ruptum aut irritum. Prioris generis exceptio-  
nes sumuntur ex persona testatoris, quae enumerantur  
cap. 6. cuius generis etiam exceptio est, si filius familiae  
testamentum fecerit: de qua cap. 7. item sumuntur ex per-  
sonis testium, de quibus agitur cap. 8. item ex causa &  
adiunctis seu actibus testamentarijs, necnon ex testame-  
nti uerbis: de quibus cap. 9. Quibus annumerantur etiam  
exceptiones desumptae ex subscriptionibus & signacu-  
lis testamenti, de quibus cap. 10. ex haereditum institutio-  
ne, cap. 11 & 12. ex substitutione partim uulgari, cap. 13.  
partim pupillari, cap. 14. ex praeteritione liberorum &  
parentum, cap. 15. deniq; ex liberorum & parentum ex-  
heredatione, cap. 16. Quae omnis generis exceptiones  
recipiunt quasdam replicationes communes, cap. 17. in-  
ter quas numeratur etiam testamentum militis, cap. 18.  
Posterioris generis exceptiones, hoc est, ea quae sumun-  
tur ex consequentibus testamenti factionem, enumeran-  
tur cap. 19. Cuius generis exceptiones sunt etiam ea quae  
sumuntur ex adgnatione posthumi & quasi posthumi,  
cap. 20. item exceptiones mutatae uoluntatis & testa-  
menti posterioris, cap. 21. Haecenus, an ex testamento  
hereditas competat? discussum est. Quibus autem ex  
testamento hereditas competat? definitur cap. 22. Quid  
quantumq; hereditatis cuiq; ex testamento competat?  
definitur cap. 23. ad quam questionem pertinent etiam  
regulae de iure ad crescendi, cap. 24. Postremo de codi-  
cillis tanquam testamenti partibus agitur cap. 25. Quan-  
do autem ex testamento hereditas competat seu defera-  
tur, definitur lib. 29. cap. 15.

DE HAEREDITATIBVS ET  
bonorum possessionibus ab in-  
testato. Cap. XX.

**P**ost hereditatem & bonorum possessionem ex te-  
stamento, sequitur ea quae deferuntur ab intestato:  
de qua tractatur libro XXXI. Digestor. meo-  
rum. Et primum quidem enumerantur cause, ex quibus  
ab intestato hereditas debeat, cum suis exceptioni-  
bus, cap. 1. hinc quibus ab intestato hereditas debeat,  
definitur cap. 2. cum undecim capitibus sequentibus.  
Tertio queritur, quid quantumq; hereditatis ab inte-  
stato cuiq; competat? cap. 14. Postremo, quando & quo  
iure hereditas deferatur? cap. 15. In secunda questione  
definienda, hoc est, quibus ab intestato hereditas de-  
beat? primum agitur de successione liberorum, d. cap.  
2. ad quam pertinet Senatusconsultum Orphitianum,  
quo liberi defunctae matri ab intestato succedunt, de  
quo cap. 3. item editum Praetoris de coniungendis cum  
emancipato liberis, de quo cap. 4. Secundo agitur de  
successione parentum, cap. 5. Tertio de successione col-  
lateralium adgnatorum & cognatorum, cap. 6. Ha-  
rum trium successioneum exceptiones generales subij-  
ciuntur cap. 7. hinc earundem successioneum de claran-  
darum gratia subijciuntur de cognatis & adfinibus di-  
gressio, cap. 8. cum duobus sequentibus capp. Quarto  
agitur de successione mariti & uxoris, cap. 11. Quinto  
de reliquorum successione, cap. 12. Harum successioneum  
omnium exceptiones generales siue communes subij-  
ciuntur cap. 13.

DE OFFICIIS HAEREDVM POST  
hereditatem delatam: necnon de actio-  
nibus quae pro hereditate perfe-  
quenda competunt.  
Cap. XXI.

**C**um de hereditate primum ex testamento, po-  
stea ab intestato competente specialiter dictum  
esset: postea subijciuntur hereditatum generalis  
tractatus, qui complectitur primum quidem officia ha-  
redum post delatam hereditatem, libro XXXI. Digestor.  
meorum: deinde uero actiones quae pro hereditate  
persequenda competunt, libro XXXI. Officia au-  
tem haereditum consistunt in iure deliberandi & inuen-  
tario conscribendo, de quibus tractatur d. lib. 30. cap. 1.  
item consistunt in aduenda uel agnoscenda hereditate,  
de quo cap. 2. in repudianda hereditate, cap. 3. in colla-  
tione tum bonorum, cap. 4. tum dotis & antenuptialis  
donationis, cap. 5. in uendicanda deniq; morte defuncti,  
& questione de familia necati habenda, supplicioq; su-  
mendo, cap. 6.

De actionibus quae pro hereditate persequenda com-  
petunt, tractatur (ut dixi) lib. XXXI. Digestor. meorum.  
Harum prima est, petitio hereditatis. Cuius actionis cap.  
1. proponitur genus, species, propria, cause. ite definitur,  
Quibus ea competat? ubi et apud quem competat? quando  
& quantum competat? adiuncta, euentus & adfinia reme-  
dia. Hinc aduersus quos competat, definitur cap. 2. Quid  
& quantum in ea ueniat petendum, definitur cap. 3. Altera  
actio est, Querela inofficiosi testamenti: cuius ratio &  
causa cum suis exceptionibus proponitur cap. 4. Inter  
exceptiones

IURIS CIVILIS.

exceptiones autem eius numeratur & haec: Nisi actori  
legitima in testamento sit relicta, de qua peculiariter a-  
gitur cap. 5. Hinc quibus inofficiosi querela competat?  
item aduersus quos? apud quem? et quibus presentibus?  
necnon quid in ea ueniat? quando? quamdiu compe-  
tat? quae sint eius adiuncta? qui euentus? quaeq; adfinia  
remedia? definitur cap. 6. Tertia actio agitur ad sup-  
plendam legitimam, de qua cap. 7. Quarta actio est co-  
tra tabulas bonorum possessionis petitio, de qua cap. 8.  
Quinta de uentre in possessione mittendo, cap. 9. Sex-  
ta ex Carboniano edicto proficiscitur, de qua cap. 10.  
Septima est interdictionum Quorum bonorum, de quo cap.  
11. Octaua est codicilio ex L. 3. C. de edicto diui Hadria-  
ni tollendo: de qua cap. 12. Haec de successioneum uni-  
uersalibus.

DE LEGATIS ET FIDEI-  
commissis. Cap. XXII.

**A**ltera iuris acquirendi causa lucrativa consistit  
in legatis & fideicommissis, de quibus tractatur  
lib. XXXII. Digestor. meorum, cum duobus  
libris sequentibus. Nam primum quidem de legatis &  
fideicommissis in genere tractatur: primum quidem de ipsi-  
bus quae pro legatis & fideicommissis persequendis co-  
petunt, libro XXXII. Specialis legatorum & fidei-  
commissorum tractatus continetur lib. XXXIII. De  
ipsis igitur legatis & fideicommissis habentur hi loci:  
Primo definitio, hinc differentia legatorum & fidei-  
commissorum, tertio species cognatae, quarto diuisio, quinto  
de numero legatorum: quae omnia tractantur d. lib. 32.  
cap. 1. sexto effectus legatorum & fideicommissorum  
enumerantur cap. 2. septimo exceptiones eorundem,  
cap. 3. cum quatuor capitibus sequentibus. Nam exceptio-  
num aliae sumuntur ex persona ipsius testatoris legantis,  
aliae ex persona ipsius legatarij: quae duo genera propo-  
nuntur d. cap. 3. aliae sumuntur ex persona eius a quo le-  
gatum relictum est, de quibus cap. 4. aliae ex re legata,  
de quibus cap. 5. aliae ex alijs circumstantijs, de quibus  
cap. 6. tractatur. Postea istarum exceptionum aliquot re-  
plicationes generales subijciuntur cap. 7. Post exceptio-  
nes octauo loco sequuntur cause seu modi, quibus lega-  
ta utiliter relicta euanescent & amittuntur: de quibus  
agitur cap. 8. cum quinque capitibus sequentibus. Nam &  
harum causarum aliae consistunt in persona ipsius testa-  
toris legantis, de quibus d. cap. 8. aliae in persona legata-  
rij, de quibus cap. 9. aliae in persona eius a quo legatum  
relictum est, de quibus cap. 10. aliae in re legata, cap. 11.  
aliae in alijs circumstantijs, cap. 12. Postremo, ad quos le-  
gatum in utile, amissum uel extinctum deuoluatur? quid  
quatumq; deuoluatur, quicq; sint huius amissionis ac de-  
uolutionis effectus? definitur cap. 13.

DE ACTIONIBVS LEGA-  
torum. Cap. XXIII.

L I B.  
XXXIII.

**P**ostquam de ipsi legatis & fideicommissis dictum  
est, dicitur etiam de actionibus quae pro ijs perfe-  
quendis competunt, libro (ut dixi) XXXIII. Di-  
gestor. meorum: primum quidem de actione legatorum  
generalis: de cuius genere & causa, necnon ubi & apud

quem, quibusq; competat? tractatur cap. 1. hinc aduer-  
sus quos competat? definitur cap. 2. Tertio, quid ueni-  
at in ea petendum? definitur cap. 3. cum duobus capiti-  
bus sequentibus. Quale ueniat petendum? definitur cap. 6.  
& quantum ueniat? definitur cap. 7. Posthaec, quando  
competat actio legatorum, & quando dies legatorum  
cedat? definitur cap. 8. Hinc de adiunctis huius actionis,  
& primum quidem de cautionibus ab actore prestan-  
dis, agitur cap. 9. hinc de reliquis adiunctis & officio iu-  
dicis in hac actione, cap. 10. Postremo, quae de legatis  
competat actio, quaeq; eius adfinia sint remedia? defini-  
tur cap. 11. Est autem huius actionis adfinis quoq; reme-  
dium actio, quae ad cautionem agitur prestandam de le-  
gato die ueniente soluendo: de qua tractatur cap. 12. &  
si cautio non praestetur, ut in bonorum hereditarium  
possessionem fiat missio: de quo cap. 13. Aliud adfinis re-  
medium seu actionis legatorum species est, si quis omnia  
caussa testamenti, ab intestato uel alio modo possideat  
haereditatem: de quo cap. 14. item de legatis praestandis,  
contra tabulas bonorum possessione petita, actio: de qua  
cap. 15. Et haec quidem de generali legatorum & fidei-  
commissorum tractatu.

DE SPECIALI LEGATORVM  
tractatu. Cap. XXIII.

**S**pecialis legatorum tractatus continetur (ut dixi) lib.  
XXXIII. Digestor. meorum: ubi primum quidem  
proponitur de ea specie, si quis ultra dodrantem bo-  
norum suorum legauerit, de qua lex Falcidia lata est,  
tractaturq; cap. 1 & 2. hinc sequitur alia species, si ha-  
reditas uel pars eius per fideicommissum sit relicta, cap.  
3 & 4. Tertia species est legatum conditionale: idcoq;  
de conditionibus tractatur, primum quidem in genere,  
cap. 5 & 6. deinde in specie, cap. 7. Quarta species est  
legatum annuum, de quo cap. 8. Quinta alimentorum  
legatum, cap. 9. Sexta est dos relegata, cap. 10. Septi-  
ma est optio uel electio legata, cap. 11. Octaua est actio  
legata, cap. 12. Nona est liberatio legata, cap. 13. De-  
cima species est peculium legatum, cap. 14. Undecima  
est legatum familiae relictum, seu ne alienetur, cap. 15.  
Postrema est factum legatum, cap. 16. Haec de legatis et  
fideicommissis.

DE DONATIONIBVS.  
Cap. XXV.

**T**ertia causa iuris acquirendi lucrativa est dona-  
tio, de qua libro XXXV. Digestor. meorum tra-  
ctatur, primum quidem in genere, cap. 1. cum trib.  
capitibus sequentibus. deinde in specie, cap. 5. cum quinque  
capitibus sequentibus. In generali tractatu, primum qui-  
dem agitur de ipsa donatione, cap. 1. hinc de actionibus  
ex ea descendentibus, quae triplices sunt: aliae siquidem  
donatario competunt ad rem donatam tradendam, de  
quibus cap. 2. aliae uero donatori ad rem reuocandam, de  
quibus cap. 3. aliae deniq; tertio ad rescindendam dona-  
tionem: ut est inofficiosa donationis actio, de qua cap. 4.  
In speciali tractatu agitur primum quidem de mortis  
causa donationibus, cap. 5. cum duobus capitibus sequen-  
tibus. hinc de donationibus inter uirum & uxorem, cap.  
8 & 9. Tertio de actione donata, cap. 10. Haec de  
causis iuris acquirendi lucrativis.

PARTITIONES  
DE OBLIGATIONIBVS ET  
ACTIONIBVS EX CONTRAHENDIS  
CAP. XXXVI.

PARS V. Sequitur nunc cause iuris adquirendi onerosae (ut uocantur) quales sunt et obligationes et actiones, quae ex contractu, tunc ex maleficio descendunt. De illis in Quinta, de hisce in Sexta Digestorum meorum parte

